

tim ex infra dicendis manifesta sunt. Omnes igitur habitus nostri animi simul sunt, et corporis; neque mirum; eorum enim sunt, quorum frequenti actionum repetitione acquiruntur; acquiruntur autem exercitio actionum tam mentis, quam corporis simul, sive potius hominis, qui ex corporis, et animi coniunctione exsurgit. At jam vero, in quo habitus, quantum ad corpus, proinde constitueruntur sint, nonnulli querunt: apte his Malebranchius respondet (*Recher. de la verit. 2. p. 1. ch. 5. v. 1.*): *Observandum est, spiritus animalis vias, per quas ipsis transendum est; satis liberas, apertasque non invenire; unde fit, ut ex. gr. ægre meavimus digitos ad celeritate, quae ad pulsanda instrumenta requiritur, aut musculos pronunciationi inserentes, cum voces linguae peregrinae pronunciare volunus; sed pudilatim spiritus animalis fluxu continuo aperient, et planas faciunt vias illas, adeo, ut temporis successu nullam patientur vim, aut difficultatem. In hac autem promptitudine, quæ spiritus animalis per membra corporis transirent, consistunt habitus; id quod optime congruit cum iis, quæ supra de memoria* (§. 42. sch.), et phantasia (§. 31. sch.) dicta sunt. Quod si deinde eadem quaestio transferatur ad habitus, quantum ad mentem pertinente, id quidem certum est, eos esse determinaciones quantitatis formalis facultatum agendi, quibus anima instruta est (§. 81.); sed num præterea in quadam animæ modificatione, et quidem constante, ac perdurabili consistant, definite dici nihil potest; neque enim, ut quidam arbitrantur, id genus modifications in esse simplici repugnare videtur, neque easdem in anima existere ab omni veri specie abhorret, cum haec ratione facilis intelligatur, qui fiat, ut mens soluta corpore ratiocinandi, recordandi, aliosque similes antem comparatos retineat. Quid vero illa modificatione sit, dixerit, qui reconditum animæ naturam intime perspexerit, quod ergo supra humani intellectus vires ponat.

HABITUS USU ROBORATUR NON DEBILITATUR.

LXXXIII. *Omnis habitus continuo usu intenditur; contra vero ejus usum longiori tempore intermisso debilitatur, et tandem penitus amittitur. Imprimis enim qui ex habitu agit, sive habitu utitur: illi frequenter easdem actiones repetit, ac proinde major habet exercitium (§. 77.); sed quo majus est exercitium, eo major facilitas, quæ habitum constitut (§. 79.), obtinetur (§. 78. cor.); ergo omnis habitus continuo usu intenditur. Deinde habitus saepc debilitari, aut penitus amitti experientia docet: sed id non fit constanti ejus usu: ergo non usu: id est, usu intermisso habitus debilitatur, aut penitus amittuntur.*

Coroll. 1. Cum actiones habitui jam comparato contrarias exerceamus, easque frequenter repetimus, eo habitu diu non utimur: igitur etiam habitus per actionum contrarium exercitum debilitatur, et tandem amittitur.

*Coroll. 2. Quia porro per ipsum hoc contrariarum actionum exercitum habitus priori contrariis acquiritur, patet universe fieri posse, ut habitu uno amissio alterum contrarium acquiramus, minoremque a majori, si secum colliduntur, supprimi, ac etiam extingui. Schol. Atque ex his, quæ adhuc de habitibus allata sunt, facilem explicatum habebit reliqua, quæ de ipsis quotidiana experientia doceat; qualia sunt: facilis infantes, ac pueros, quam aetate provectiones novos sibi habitus comparare; habitus eam quandoque firmitatem adipisci; et in alteram, quod dico solet, nostram habeant, quam licet expellas furca, tamen usque recurret; citius obtineri habitus earum actionum, quarum exercitium dum voluptate aut intensiore quadam affectione, vel etiam maiore solum animi intentione conjungit; tum et illos, qui plus phantasia, et corpore nuntur, quam mente, et sexcenta alia; quo et illud pertinet, debiles fere esse habitus esteris paribus, quo plures in uno nemine concurrunt, quæ ex re, ut sapienter ait Cenensis, moniti esse debent, qui egregii, et excellentes in facultate aliqua esse cupiunt, ut ne pluribus animum intendant (*ELEM. MET. p. 1. prop. 36.*); nullo enim modo finita a naturæ nostræ vis omnibus esse par potest. Et quædam modum si eidem solo plura, quam ferre possit, semina commiseris, detrahes omnibus alimentum; ita pluribus intentus animus mediocris quidem esse in illis potest, summus non potest. Atque haec de facultate cognoscendi dicta sufficiunt.*

SECTIO II.**DE FACULTATE APPETENDI, ET AVERSANDI.****QUAE SECTIONIS SUMMA?**

LXXXIV. Facultatem appetendi, et aversandi circa bonum duntaxat, et malum versati, ejusque actus cum voluptate, aut tedium perpetuo conjunctos esse deinceps apparebit: quare ut recte, atque ordine progrediar, agam primum de voluptate, et tedium, bono, et malo, tum de ipsa appetendi facultate; denique pauca quedam de affectibus subjungam.

CAPUT I.**De Voluptate, et Taedio, Bono, ac Malo.****QUID VOLUPTAS, TAEDUM ET STATUS INDIFFERENTIA?**

LXXXV. *Voluntas ea animi affectio est, quæ erit, cum vel in nobis, vel in objecto quovis percipit perfectiones adesse intuitiva (§. 62.) cognoscimus; ita voluptate perfunditur, qui sibi egregiam virtutem, aut scientiam inesse agnoscat. Taedium contra opposita est affectio, quæ ex intuitiva imperfectionis perceptione ema-*

Scitur; ut cum me multarum rerum ignorantia teneri cogito, vel imaginem imperite elaboratam, et prototypo valde dissimilarem contemplor. Cum vero in obiecto percepte non perfectio, nec imperfectio inuenio, erga illud indifferens esse dico: quare status indifferens est ea mentis nostrae constitutio, in qua nec taedio nec voluptate affectur, in quo ille versatur qui ignorat; utrum id quod vel in se, vel in obiecto percipit, in numerum perfectioniam, aut imperfectum referri debet, aut qui prorsus nihil percipit.

Coroll. 1. Status indifferentiae medius est inter voluptatem, et taedium; ac proinde taedium non est nuda voluptatis privatio, aut visissimum, neque igitur contradictoria sunt, verum solum contraria (ont. §. 67.).

Coroll. 2. Rupio aut vehemens nervorum tensio est vera corporis nostri imperfectio, sensus vero titillatio nescientia corporis constitutionem velut veram perfectionem indicat: igitur dolor (§. 16. sch.) ad taedium; titillatio ad voluptatem, ut species ad genus reveruntur.

Coroll. 3. Cum tam perfectio, quam imperfectio vel vera, vel apparenſis esse possit, quod sine probatione patet, etiam voluptas, aut taedium vel verum, vel apparenſis dici potest; ita taedium ex literarum studio, voluptas ex otio orunda apparenſis est.

Coroll. 4. Id, quod effecti, ut alterum sit, eius ratio sufficiens est (ont. §. 18.); ergo perceptio perfectionis est ratio sufficiens voluptatis, perceptio imperfectioris taedii.

Coroll. 5. Quo plus rationis sufficiens ponitur, eo plus rationati pondum: igitur quo plus perfectionis, aut imperfectio, vel quo clarius et vividius eis percipiuntur, eo major voluptas, aut taedium oritur. Cum saepius jam perfectionem in eadem re percipimus, occasione praesentis perceptio phantasia praeteritam perceptio, et voluptatem cum ea haustam reproducit (§. 17.), quae, quia cum praesente conspirat, eam majorem efficit, unde, quo saepius ex eadem re voluptas percipiuntur, eo major est.

Coroll. 6. Posita ratione sufficiente ponitur, ea durante durat, et ea ablata anterior rationatum (ont. §. 22.); igitur posita perceptio perfectionis, aut imperfectio ponitur, ea durant, et ea ablata cessat voluptas, aut taedium.

VOLUPTA MUTARI POTEST IN TAEDIUM, ET CONTRA.

LXXXVI. Quaevis voluptas in indifferentiam, aut taedium degenerare potest. Sit imprimita voluptas solum apparenſis, ex errore nempe oriunda (§. praeſ. cor. 3.); detecto igitur errore, quod utique fieri potest, patebit perfectionem non adesse: cessabit ergo perceptio perfectionis, adeoque et voluptas (ibid. cor. 6.). Porro illud, quod jam patet non esse perfectio, vel apparere imperfectio, vel non; si hoc; priori voluntati indifferenter: si illud; taedium succedit. Sit deinde voluptas vera: erit quidem meum de percepta perfectione judicium verum, seu vera perfectio apparabit esse vera; at

mutalis adjunctis fieri poterit, ut ea perfectio, vera quidem in se, appareat tamen esse vel nulla, vel plane quedam imperfectio, tametsi ex errore: quo casu iterum patet praecedentem voluptatem aut in indifferentia, si illud: aut in taedium, si hoc sit, mutatum iri: quaevis igitur voluptas aut in indifferentiam, aut in taedium degenerare potest.

Coroll. 1. Idem eodem modo inverse de taedio facile demonstratur. Coroll. 2. Multo clarius patet, ex eadem re uni voluptatem, alteri taedium creari posse.

Schol. Voluptas, quae semper eadem manet, quoties obiectum percipitur, constans; quae vero redeunte veteri obiecti perceptione mutatur, variabilis, audit.

*TAEDIUM NON TOLLIT VOLUPTATEM RESPECTU EJUSDEM OBJECTI, SED
DIVERSA RATIONE CONSIDERAT.*

LXXXVII. Possunt in mente simul consistere voluptas, et taedium comparate ad idem obiectum compositum sub diversa ratione consideratur, quin se mutuo tollant. Negari profecto nequit fieri posse, ut mente in eodem obiecto composito simul percipiatur sub alio respectu perfectionem, sub alio imperfectio, quin hae duae perceptio[n]es se mutuo tollant, ergo duas rationes sufficientes, una voluptatis, altera taedii (§. 85. cor. 4.) in mente simul posse sunt, quin se mutuo tollant; atque si ita, poterunt utique in mente simul ponи duo earum rationata, voluptas nimurum, et taedium; quin se mutuo tollant: ergo possunt in mente simul consistere voluptas, et taedium comparate ad idem obiectum compositum sub diversa ratione consideratum, quin se mutuo tollant.

*Schol. Veritatem hujus theoremati sensus intimus, cui Leibnitianum nequidquam obnuntiatur, apertissime contestatur. Quis enim quaeſo est, qui in se non experiat sibi saepissime idem obiectum compositum: sub diversa ratione placere simul, et diligere? posse se eundem hominem ob virtutes quasdam amare, et simul ob aliquia vilia odire? Nempe voluptas, et taedium se tum solum destruunt, quando in idem obiectum eodem modo sumptum tendent, quod hic nequaquam fit; immo non tam obiectum compositum, sed potius respectus ille, sive qualitas est obiectum ideae voluptutem, vel taedium cauſans: quare duo re ipsa obiecta diversa in toto compone concurrunt, quorum unum voluntatem, alterum taedium generant (Psych. emp. s. 2. c. 1. §. 463. not.). Certe si patet, quam Boehmius ab horologio aliquot naevis infecto ad comprehendam contraria opinionem adserit, quid plam efficeret. Forst inde consequens, nos nec comparare ad diversa totius mundi entia voluntatem simul, ac taedium persentire posse, cum ea omnia simul unus obiectum compositum, nempe mundum constituent. Quod autem subinde dicamus: *placet haec res, placet autem magis, si illud non adesset, id nam ideo fit, ut significemus voluntatem a taedio minui, quemadmodum idem Boehmius**

Storchenau Metaph. Lib. III.

contentit; sed eo absente novam toti composite perfectionem a-
cessuram, qua posita major quoque ratio sufficiens voluptatis, ac
aproinde etiam major voluptas ponetur: generatio enim quantitas
voluptatis quantitat perfectionis perceptae respondet: quare seu
in objecto aliud adsit, quod displiceat, seu non, semper tanta,
nec major, nec minor sensu voluntas, quanta in illo perfectio
cognoscitur.

QUID BONUM, ET MALUM?

LXXXVIII. Bonum generaliter dicitur, quidquid perfectionem en-
tis constituit, aut cum ea connectitur; ejus oppositum malum est.
Bonum hoc loco speciatim illuc voco, quod nos, statumque nostrum
seu internum, seu externum (ant. §. 61.) perficit, ut *virtus*, *eruditio*,
santitas (Parad. 1.). Quidquid est bonum, aut Tullius, quod
non eum, qui possedit meliorum faciat? Malum contra quod nos,
statumque nostrum imperfectionem reddit, ut *vitium*, *ignorantia*,
morbus.

Coroll. 1. Cum scire nequeamus, utrum nobis objectum perfectionem,
aut imperfectionem conciliat, nisi illud perceptum ad nos referamus, illiusque cum statu nostro nexus perspicimus, relatione ea
non facta, aut non per respectum objectum perceptum nec bonum,
nec malum appetit, nosque proinde in statu indifferentiae (§. 85.)
versamur.

Coroll. 2. Perfectio, quam objectum nobis conciliare potest, vel vera
est, vel apparet tantum; major item, vel minor: quare bonum
aliud *verum* est, aliud *apparente*; aliud *magis*, aliud *minus*, at-
que hoc pro gradibus perfectionis. Idem est de malo.

Coroll. 3. Etonias igitur perceptio accurate discerni dobet a bonitate,
qua reprobate objecto competit; potest enim vel major, vel
minor, vel prorsus nulla esse in objecto, etsi quaedam nobisappa-
reat, et vicissim. Inde philosophi bonum in *reale*, et *ideale*, seu
objectivum distinguunt.

Schol. Sunt et alias boni, et mali divisiones a philosophis usitatae;
nempe *bonum animi*, quod ad mentis: ut *virtus*, *bonum corporis*,
quod ad corporis: ut *santitas*; *bonum internum*, quod status
interni: ut *eruditio*; *bonum externum*, vel *fortunae*, quod ad
status externi perfectionem pertinet, ut *dovitiae*, *honores*. Sed
haec proprium in philosophia morali locum habent.

PERCEPTIO BONI VOLUPTATIS ET MALI TAEDII GENERALIS.

LXXXIX. Perceptio boni voluntatem; perceptio mali taedium
generalis. Bonum vel malum est id, quod nobis perfectionem, vel im-
perfectionem conciliat (§. præc.); ergo cum bonum, vel malum per-
cipimus, nostram perfectionem, vel imperfectionem inde penden-
tem inuenimus; sed perceptio perfectionis voluptatem; perceptio
imperfectionis taedium generalis (§. 85.); ergo etiam perceptio boni
voluptatem; perceptio mali taedium generalis.

Coroll. 1. Perceptio igitur boni veri voluntatem veram; perceptio

boni apparentis voluntatem solam apparentem (§. 85. cor. 5.)
generat. Idem est de malo. Voluntas igitur, qua percepto quadam
objecto perfundimur, non est infallibile criterium boni realis, ut
fere vulgus opinatur.

Coroll. 2. Quantitas voluntatis, aut taedii respondet quantitati bo-
ni realis, aut malitiae idealis, non realis; tanta siquidem erit volu-
ptas, quantum boni percipitur, non quantum in se est.

IDEM OBJECTUM SUB DIVERSA RATIONE BONUM ET MALUM ESSERE POTEST.

XC. In eodem objecto composite sub diverso respectu considerato tam bonitas, quam malitia simul percipi potest. Fieri certe
potest, ut aliquid sit in objecto composite, quod nobis perfectionem,
aliud, quod nobis imperfectionem conciliare possit, atque utrumque
similiter percipi posse nihil vetat; atque dum istud cognoscitur, in eo-
dem objecto composite tam bonitas, quam malitia simul percipitur
(§. 88.); ergo in eodem objecto composite sub diverso respectu con-
siderato tam bonitas, quam malitia simul percipi potest.

Coroll. 1. Igitur etiam idem objectum composite sub diversa ra-
tione consideratum voluptrat, et taedium, quae se non tollunt
(§. 87.), in nobis caussare potest.

Coroll. 2. Bonum minus etiam in collisione cum maiore, quatenus in
se spectatur, bonum est: quatenus vero cum maiore comparatum
hujus consecutionem impedit, malum est: igitur ex perceptione bo-
ni minoris etiam in collisione cum maiore voluntatem, et taedium
capimus, si in modo illud sub utroque respectu considereremus.

Coroll. 3. Similiter malum minus in collisione cum malo majori in se
spectu malum est; sed comparante maius malum, quod impe-
dit, bonum: igitur etiam minus malum sub duplice hoc respectu
considerandum voluptrat, et taedium simul caussat. Haec omnia
sensu quoque intimo constant.

C A P U T . II.

De Facultate Appetendi, et Aversandi.

QUI FACULTAS APPETENDI, APPETITIO, AVERSATIO?

XCI. Quivis ad se attenus advertit, se etiam invitum versus objec-
tum, quod ut sibi bonum percipit, nisum aliquem, sive inclinacio-
nem in semet experiri; ab opposito vero rensum, sive declinationem,
eius sibi objectum ut sibi malum raepresentat. Inclinatio haec *appe-
titio*; declinatio *aversatio*; et facultates mentis, a quibus actiones ha-
proficiscuntur, *facultas appetendi*, seu *appetitus*, et *aversandi* com-
pellantur.

Coroll. 1. Appetitio semper cum voluptate; aversatio cum taedio
concoiciatur (§. 89.).

Coroll. 2. Cum nec voluptate, nec taedio afficiemur, indifferentes su-
mos (§. 85.) in statu igitur indifferentiae nec appetitio, nec aver-

satio possibilis est. Inde vetus illud, *ignoti nulla cupidus*; nam etiam tuus indiferentes sumus, cum objectum non cogoscimus.
Schol. Alii vocabolo *appetitus*, sine discriminatione modo ad facultatem, modo ad actum denotandum utinatur; sed res ea a quivocatione locum praebet: consultus igitur est, ut constanter soli facultati tribuantur.

PERCEPCIO BONI APPETITIONIS, ET MALI AVERSATIONIS RATIO SUFFICIENTS EST.

XCII. *Ratio sufficiens appetitionis in perceptione boni: aversationis in perceptione mali recte constituitur.* Percepio perfectionis, et imperfectionis est ratio sufficiens voluntatis, et tadii (§. 85. cor. 4.); sed appetitus semper cum voluntate, aversatio cum tacido consociatur (§. prae. cor. 1.); igitur in perceptione perfectionis, et imperfectionis etiam ratio sufficiens appetitionis, et aversationis recte constituitur; atque percepio boni, et mali semper conjugatur cum perceptione perfectionis, et imperfectionis (§§. 88. 89.); ergo pariter ratio sufficiens appetitionis, et aversationis in perceptione boni, et mali recte constituitur.

Schol. Ne tamen inde colligas animam appetendo, et aversando pati solum, non agere: agit ea profecto, appetitiones enim eo jure, quo perceptions in vitalibus, ut ajunt, illius actionibus habendas sunt. Representatio certe, seu perceptio boni vim appetendi in se non continet; sed vis haec, quae facultatem in actum reducit, animae tribuenda est, atque per perceptionem boni, aut mali velut per remotionem impeditum, ut Dariesius patat, ad agendum determinatur (*Psych. emp. 5. 1. c. 2. §. 83.*). Haec igitur perceptio boni, aut mali effect, ut vis animae actu appetendo, vel aversando agat, quod ante obstante ignorantia prasiare non poterat. Ea nimurum est constitutio mentis nostrae ut felicitatem, ad quam adipiscendam a Conditor suo ordinata est, naturaliter desideret; inde fit, ut ubique species quedam boni relucet, continuo ad illud sese inclinet, quasi in eo felicitatem suam repertur; cumque porro in desideranda felicitate generatio accepta libera non sit, neque in ejus potestis ponitur objectum boni speciem non appetere, nisi in quantum eadem impidire, ac removere saltem aliquando potest. *Praeclare Tullius (Qq. Tusc. l. 4. c. 6.)*: *Natura omnes, quae bona videntur, sequuntur, fugiuntque contraria. Quam ob rem simul objecta boni species cuiuspiam est, quod bonum yideatur, ad id adipiscendum impellit natura.*

QUAE LEX APPETITUS?

XCIII. *Omne bonum perceptum appetimus: omne malum perceptum aversamur: et contra quidquid appetimus, aut aversamur, ut bonus, vel ut malum percipimus.* Posita enim ratione sufficiente rationatum, et posito rationato ejus ratio sufficiens ponenda est (ont. §. 33.); sed perceptio boni, et mali est ratio sufficiens appetitionis, et aversationis (§. prae.); ergo patet propositum. Suffragatur experientia.

Coroll. 1. Ex hac propositione omnia, quae de appetitu cognoscimus, deduci possunt, ut deinceps apparebit: merito igitur lex appetitus dicitur (§. 8. sch.).

Coroll. 2. Cum aliud sit bonum apparet, aliud verum, seu reale (§. 88. cor. 2. 3.), ex eo, quod aliquid appetamus, non sequitur illud esse bonum reale: fieri igitur potest, ut, quod in se malum est, appetamus, et quod in se bonum est, aversemur. Inde autem philosophi: nos *objecta pro ratione boni in his percepti appetere, et pro ratione mali in his percepti aversari*.

Coroll. 3. Minus bonum etiam in collisione cum majori bono appeti potest, quatenus est bonum absolute, non quatenus impedit conceptionem majoris boni: idem verum est de minori mali, quatenus impedit maius (conf. §. 91. cor. 2. 3.).

Schol. Commodo de hi tirones monet doctissimum P. Ivancensis (*In- st. metaph. disp. 4. c. 7. n. 774. et 775.*): *appetere praecesse malum, et aversari bonum significat appetere, quod in se malum est: et aversari, quod in se bonum est: fieri hoc posse ex dictis constat: cum bonum possit apparetre malum, et viceversa. Verum appetere malum, quatenus malum est, et aversari bonum, quatenus bonum est, idem sonat, quod appetere malum, quia malum est, et aversari bonum, quia bonum est, istud fieri minime potest (§. prae.).* Eversus diversae sunt haec duas sententiae: *appetere malum cognitionem ut malum; et aversari bonum cognitionem ut bonum: et, appetere malum, quatenus malum est; aversari bonum, quatenus bonum est.* Primum enim aliud non significat, quam id, in quo aliqua mali species percipiatur, appetere ob adiunctam nimurum speciem boni, et viceversa: alterum vero notat appetere malum, quia malum est, vel aversari bonum, quia bonum est, quod pro omni casu repugnat.

QUAE REGULAE APPETITUS?

XCIV. *Appetitus in aversationem, et aversatio in appetitionem etiam respectum ejusdem objecti permutari potest.* Omne bonum perceptum appetimus, et omne malum perceptum aversamur (§. prae.); si igitur fieri possit, ut id, quod antea bonum apparuit, deinde videatur esse malum, et viceversa, etiam fieri potest, ut id, quod antea appetivum, deinde aversetur; atque istud certo fieri potest, cum aliud sit bonum apparet, aliud verum (§. 88. cor. 2.); ergo etiam appetitus in aversionem, et aversatio in appetitionem respectu ejusdem objecti permutari potest (conf. §. 86.).

XCV. *Eo major est appetitus, vel aversatio, quo major, vel clarius est species boni, aut mali in objecto percepita.* Omne bonum perceptum appetimus, omne malum perceptum aversamur (§. 93.); ergo etiam magis bonum perceptum, vel bonum clarissimum, id est, magis perceptum, magis appetimus, et malum magis perceptum, vel malum clarissimum, id est, magis perceptum, magis aversamus.

Coroll. 1. Si igitur plures rationes bonitatis in eodem objecto simul percipiuntur, major appetitus orietur: idem est de aversione.

Coroll. 2. Vehementer appetitionis, et aversationis magna ex parte ab illo pendet, a quibus major perceptio claritas accedit, ut nimirum ab actione objectorum in organa; a constitutione corporis, nervorum, cerebri spirituum animalium copia; tum etiam ab habitibus comparatis, de quibus consulatur Genvensis (*Elem. met.* p. 2. c. 4. §. 20. seqq.).

XCVI. Plura objecta, eti simul obtinere nequeant, simul tamen appetere, et quidem plus vel minus pro ratione bonitatis in iis perceptis, possumus. Imprimis enim plura objecta, tametsi simul obtineri nequeant, possunt tamen nobis simul bona apparet, quod per se evidens est; sed quidquid nobis bonum apparet, appetimus (§. 93.); ergo plura objecta, eti simul obtinere nequeant, simul tamen appetere possumus. Deinde pars ratione possunt dicta objecta plus, vel minus bona apparet; atqui eo major est appetatio, quo major est species boni percepti (§. praecl.); ergo eadem objecta simul plus, vel minus appetere possumus.

Coroll. 1. Appetitiones ergo diversorum objectorum, tametsi simul obtinere nequeant, mutuo se non tollunt.

Coroll. 2. Hinc quoque iterum patet, posse minus bonum etiam in collisione cum majori bono, id est, cum consecutionem majoris boni impedit, tamen vere appeti (conf. §. 93. cor. 3.), ac profinde possibile esse statum praepondendi.

Schol. Vocem conscientiae omnino repudiare mihi videntur, qui praesentis theorematis veritatem in dubium vocant; aut penitus incitantur. Offer Cajo duo horologia, aureum unum, argenteum alterum, ea conditione, ut quod placuerit, eligat, secundum gratitudini numeri loci domum auferat; eligat sane unum; et appetet utrumque; si neges, fac illi copiam utrumque accipiendo; accipiet profecto utrumque; quid igitur? Non appetet utrumque? At sine praecedente appetione electio fieri nequit, ut infra patebit. Quod si igitur Caju facta utrumque horologium accipiendo venia utrumque appetat, quis dubitat, eum utrumque etiam tum appetere, cum utriusque appetitioni satisfacere nequit? Velim ergo, ut Leibnitiani aegre non ferant me hac in re ab ipsis dissentire; majus enim sensus intimus, quam ipsorum auctoritas apud me pondas obtinet, paritati a bilance petitiae, in qua ipsi exultant, alio loco commodius respondendo.

QUID STATUS AEQUILIBRII?

XCVII. Cum plura objecta simul appetere, aut aversari pro ratione bonitatis, aut malitiae perceptas possumus (§. praecl.) consequens est, ut duo, vel plura objecta, in quibus aequaliter rationem bonitatis, aut malitiae, percipiunt, aequaliter appetamus, aut aversemur. Hinc oritur status equilibrii, in quo mens constituitur, cum duo, vel plura bona simul aequaliter appetit, aut duo, vel plura mala aequaliter simul aversatur.

Coroll. 1. Status aequilibrii plurimum differt a statu indifferentiae

(§. 88. cor. 1. 85.); in hoc enim vel nullum objectum percipio, vel si quod percipi tam, in eo nec speciem mali, nec speciem boni deprecho.

Coroll. 2. Cum de appetitionibus agimus, triplicem animae statum acutu discernere oportet; primo statum *indifferentiae*, in quo ipsa nihil appetit, ne quidquam appetere potest; tum statum *aequilibrii*, in quo ipsa duo, vel plura bona aequaliter appetit; denique statum *praepondenti*, in quo unam magis, quam alia bona simul percepita appetit.

XCVIII. Idem objectum compositum sub diversa ratione appetere simul, et aversari possumus. Possumus enim idem objectum compositum sub diversis rationibus alii boni, alii mali representari, quod fieri posse docet (§. 90.); erunt haec rationes totidem objecta partialia nostrae perceptionis compositae, percipiensque in ipso objecto composite aliquia, quae apparent bona, alii iuxta, quae apparent mala; quare, cum quidquid bonum apparet, appetemus, et quidquid malum apparet, aversemus (§. 93.); ex bona appetemus, et ex mala aversabimur; sunt autem haec bona, et mala simul conjuncta in eodem objecto composite: igitur idem objectum compositum sub diversis rationibus appetere, et aversari possumus (conf. §. 87. n).

Coroll. Possum igitur minus bonum simul ut absolute, et in se bonum appetere, et simul ut impedimentum majoris boni, adeoque respective malum aversari; idem cum proportione intellige de minori malo comparare ad maius (conf. §. 95. cor. 2.).

QUID MOTIVA?

XCIX. Motiva dicuntur hoc loco, quae nos per sece ad appetendum, vel aversandum objectum alludent; quare, cum id perceptiones boni, et mali praestant, eae recte motiva nuncupantur.

Coroll. Motivum igitur est ratio sufficiens appetitionis, et aversationis (§. 94.); et quia nihil est sine ratione sufficiente (ont. §. 21.), nella appetitione, aut aversatione sine motivo esse potest.

Schol. Cum videamus nobis nonnumquam aliquid sine motivo appetere, aut aversari, id inde est, quod alias jam illi motivis affecti fuerimus. Fieri nempe potest, ut rem quamquam, in qua nunc quidem nullam boni speciem apprehendimus, preterea tamen appetamus, quod non eas olim ut bonum percipisse, ac appetisse recordarum; quo casu in determinatione praeferita praesentis appetitionis ratio continetur, porro, cum ex frequente ejusdem actionis repetitione habitus oriatur (§. 79.), et habitus appetendi ac aversandi, qui nominatim *consuetudo* a philosophis dicitur, nobis compare possumus, et reipublica frequenter ex consuetudine solum aliquid appetimus, et aversamur. Atque hinc patet, cur facilis ea appetimus, aut aversemus, quae jam saepè alias appetivimus, aut aversati sumus. Qui igitur per experientiam cognoscere vult, quo modo appetitiones, et aversationes in sua mente nascantur, is non

solum ad eos casus, in quibus consuetudine aliquid appetit, velaversatur, animum advertat; sed etiam eos sollicite indaget, in quibus primum eam appetitionem, aut aversationem elicit.

QUOTUPLEX APPETITIO ET AVERSATIO — FACULTAS ITEM APPETENDIS
ET VOLUPTAS AC TARDIUM.

C. Perceptio, sive repraesentatio boni, aut mali, qua posita ipsa appetitio, aut aversatio ponitur (§. 93.), ad facultatem cognoscendi pertinet (§. 6.); sed facultas cognoscendi vel inferior est, vel superior illa res obscure, aut confusa; hae distinctae repraesentant (§. 7.) igitur et perceptio boni, aut mali obscura, aut confusa, vel distincta est. Ex repraesentatione obscura, vel confusa oritur appetitio, vel aversatio sensitiva; ex repraesentatione vero distincta appetitio, vel aversatio rationalis.

Coroll. 1. Igitur etiam summo iure facultas appetendi, et aversandi in superiori, et in inferiori tribuitur, cumque, quae competit generi, etiam speciebus convenientia, quaecumque de facultate appetendi, appetitione, aut aversatione generata adhuc dicta sunt, etiam speciatim ad facultatem appetendi superiori, ac inferiori, atque ad appetitionem, et aversationem tam sensitivam, quam rationalem accomodari debent.

Coroll. 2. Quaevis appetitus cum voluptate, aversatio cum tedium con sociantur (§. 9. in cor.); ergo voluntas quoque, ac tedium aliud rationale vel ut ajunt, mentale; aliud sensitivum est. Voluptatem rationalem persens Pythagoras, cum ob inventum de quadrato hypothenuse theorema Musis hostias immolavisse (Vitruvius l. 9. c. 2.).

Coroll. 3. Facultas cognoscendi inferior repraesentat objecta singularia ope sensus, aut phantasiae (§. 8.), superior universalia, et abstracta ope intellectus, et rationalis (§. 48.); igitur appetitio sensitiva fertur in bonum sensibile per sensum, aut phantasiam repraesentant; appetitio vero rationalis in bonum universale, abstractum, et a materia separatum ope intellectus, et rationis cognitum. Idem est de aversatione.

Coroll. 4. Cum perfectio, et imperfectio confuse cognita pulchritudinem et deformitatem constitut, ut egregie demonstravit Moses Mendelsohn, perspicuum est, pulchrum, et deformem objectum esse facultatem appetendi, ac aversandam inferiores, ac proinde hanc facultatem ad eas pertinere, quarum excolandarum rationem aesthetica docet (§. 6. sch. 2.).

Schol. Cum repraesentationes boni, et mali obscurae sunt, sentimus nos impelli ad aliquid appetendum, et adversandum, quin illius appetitionis rationem scire, aut reddere valeamus, quod saepius evenire nemo est, qui in se non experitur, si modo initis qui intra se sunt, discernendis satis auctus sit. Id genus appetitionem aut aversationem naturalem seu innatum vocant (Phil. Schrift. 1. Th. 2. Brief. 2. Th. 2. Weber die Hauptgrundsätze der scho-

nen Kunste, und Wissensch.). illam vero, quae ex confusa, vel distincta representatione oritur elicitan quod si Winklerus (Psych. §. 724. et 725.), et alii quidem, qui cum veteribus Stoicis, de quibus Tullius (Defin. l. 3. 4. 5.) et Peripateticis appetitiones innatas docent, eas dicto nunc sensu intelligent, nihil eorum continentur doctrina, quod jure carpi posset; at vero, cum ipsi putent actualiem appetitionem, aut aversationem a natura nobis inditam, ac perseverantem, earumque rerum ideas simul animo insculptas esse, haec illorum sententia omnino repudianda est; solidissimis quippe rationibus infra ostendam, nullas in ipso ortu ingenitas in nobis ideas esse. Alii denique alii struntur vocabulis; appetitiones, et aversiones naturales stimulos naturales compellant (Psych. emp. s. 2. §. 471. not. et 472. not.); tum illi, quibus solam repraesentationem distinctam motivum nominare placet, repraesentationes boni, aut mali obscuras, et confusas stimulos dicunt, atque extimilis obscuris instinctum enasci ajunt. Vide Boehmum.

QUID CONSENSUS, ET PUGNA APPETITIONUM — QUID TEMPERAMENTUM?

Cl. Fieri potest, ut quod facultas cognoscendi inferior confuse ut malum, vel malum repraesentat, idem quoque superior bonum, vel malum distincte exhibeat; et fieri etiam potest, ut quod una ut bonum, altera ut malum, et viceversim repraesentet. Quare cum omnino bonum perceptum appetimus, et omne malum perceptum aversamur (§. 93.); in priori casu idem objectum utraque facultate, adeoque tam sensitiva, quam rationaliter appetimus, vel aversamur, tunique habetur consensus appetitionum; in posteriori vero casu, quod sensitiva appetimus, rationaliter aversamur, aut viceversim, atque inde pugna appetitionum oritur. Ita agrotus medicinam palato adversam sensitivam aversatur; eamdem tamen ob spem sanitatis distincte cognitam rationalem appetit.

Coroll. Cum idem objectum sub diversa ratione simul appetere, et aversari possimus (§. 98.); etiam in hoc casu appetitio, et aversatio mutuo se non destruerit, neque alterutri alio sensu victoria trahi potest, quam quatenus voluntas libere exequitur, quod ab alterutro suadetur; et quia experientia teste voluntas non semper secundum fortiorum appetitionem, aut aversationem se determinat, veritati minime consentaneum est, in hanc appetitionum pugna semper fortiori sensu intensiore appetitionem vincere, quod Leibnitiani docent.

Schol. 1. Necesse igitur minime habemus, ut cum veteribus subjecta reapse diversa, in quibus appetitiones pugnantes inimici, constitutas. Diviserunt illi appetitum, in rationalem, et carnalem, huncque rursus in concupiscentiam, et irascibilem, ajentes rationalem in superiori animas parte, quam animalium; carnalem in inferiori, seu sensitiva, quam animam vocarunt, residere, hasque animae partes, et revera distinctas esse, et secum perpetuo pugna-

re, velut equum cum equite, que locutio Platoni imprimis familiari fuit. Ceteri doctrina haec et sensu intimo, quo cum confictum in uno, ac individuo ente inesse experimur, et efficacissimis rationibus, quibus animae humanae simplicitatem altera in parte demonsirabilis, repugnat, ut adeo mirum sit, complures etiam recitationibus temporibus duas in homine animas, sensitivam unam ac materialem; alteram rationalem, et spiritualem cum Thoma Villisio (*De anim. brut. p. 1. c. 2.*) statuisse putantes, hanc appetitionum pugnam sine duplice anima nequaquam intelligenter exponi posse; quem errorem nuper auctor (*Philosophie du bon sens, t. 2. p. 231.*) absurdissime recxit. Ad extremum ratio curhomines sere frequentius secundum appetitionem sensitivam non obstante aversatione rationali agant, in eo sita videatur, quod praesentibus vivacius afficiamur, quam absentibus, et abstractis; sensu præterea intuitivo cognoscimus (§. 62), et phantasia simul reproducendo ideam voluptatis alias perceptae præsentem auget; intellectus contra cognitum ut plurim symbolica tantum est (§. cit. sch. 1.), qua bonitatem non in ipsa, sed signorum ope solum apprehendimus. Atque inde fit, ut saepius, tame si id fieri minime oportere, appetitionis sensitivae præ rationali obtemperemus, dicamusque cum Medea apud Ovidium, *video meliora, proboque deteriora sequor*. Consule Silvanum Regis (*Syst. de Phil. la metaph. l. 2. p. 2. ch. 19.*).

Schol. 2. Quemadmodum facultas appetendi, et adversandi in superiori, et inferiore rite distribuitur (§. præc. cor. 1.), ita quoque eadem facultas multiplex difficit, cum diversorum objectorum quæ appetere, aut adversari possimus, ratio habeatur. Quia porro quoque facultas in se determinata quantitatibus est, necesse est, ut diversas haec appetendi, et adversandi facultates determinatam in unoquoque hominem rationem, sive proportionem inter se habeant: haec proportio indolem cuiusvis, seu ut ajunt, *temperamentum* constituit, quod infinitis prope modis non solum in diversis, sed in eodem quoque homine, diverso tempore variari potest. Generatim quidem hujus diversitas a diversitate ingenii latitudi (§. 59. sch.) pendet; quemadmodum ipsa facultas appetendi a facultate cognoscendi. Meijerus jam saepe a me laudatus quatuor potissimum genera temperamentorum constituit: *rationale*, cum facultates superiores; *sensitivum*, cum inferiores; *erectum*, cum facultates appetendi; *abjectum*, cum facultates adversandi fortiores existunt. Facultas deinde appetendi aut adversandi, quæ in temperamento sensitivo ceteras superat, *passionem dominantem* (den. Hang) progignit.

C A P U T III.

De Affectibus.

QUID AFFECTUS -- ET QUOTUPLES.

CII. *Affectus* est appetitus, aut aversatio sensitiva vehementior et cum extraordinaria sanguinis, ac fluidi nervi commotione conjuncta. Ita in irato homine ardent oculi, inflammatur vultus, sanguis concitato cursu rapidissime totum corpus permeat. Id genus appetitus, aut aversatio rationalis *affectus per analogiam* cum Dariesio dici potest.

Coroll. Omnis igitur affectus cum voluptate, vel tedium conjungitur (§. 91. cor. 1.), idque fundamentum præbet distributioni affectum maxime generali in gratos, vel iucundos, et molestos, vel *ingratis*, quorum illi ad gaudium, hi ad tristitiam commode revocantur.

QUAE PHILOSOPHORUM OPINIONES?

Schol. 1. De numero, ac divisione affectuum multa variaque apud philosophos reperiuntur. Dariesius (*Psych. emp. s. 2. c. 2. §. 97. sch.*) ex illo Horatii (*Epist. l. 1. ep. 6.*): *gaudeat; an doleat; cupiat metuere; quid ad rem?* omnes affectus ad hos quatuor primarios *gaudium, tristitiam, cupiditatem, metum* reduci putat. Hunc opinionem adhaesisse videtur Stoicis, quorum de affectibus quos *ne* vocant, doctrina maximam ac præcipuum philosophiarum partem concepit: in quatuor ipsi genera affectus tribuerunt; bona, ajeant, alia sunt præsentia, alia futura; de illis habetur *laetitia*; de his *tristitia*: rursus mala vel præsenta sunt, vel futura; de illis *agriitudo*: de his *metus* datur. Plato dicens solebat affectus, qui nomen habent, multos esse; qui vero nomine careant, innumeros. Aristoteles cum suis undecim numeravit: *gaudium, desiderium, amorem, tristitiam, fugam, odium, spem, desperationem, audaciam, timorem, et iram*; hos Peripateticorum nonnulli *simplices* dixerunt, et sex compassus addiderunt, *zelotypiam, pudorem, misericordiam, aemulationem, indignationem, et invidiam*. Cartesius (*De passionibus*), qui hoc argumentum libro singulari copiose, et accurate pertractavit, affectus omnes in *simplices*, seu *primitivos*, et *compositos* distinxit, ad illos referens *admirationem, amorem, odium, cupiditatem, laetitiam, et moerorem*; hos diverse ex istis componi asserens. Sed est in hac doctrina quidpiam, quod non penitus probari potest, de quo videatur Winklerus (*Psych. 2. 716.*). Nec Wolfus (*Psych. emp. s. 1. p. 1. c. 3.*) quidquam intermisit, quod ad illustrandam de natura, et variis affectuum generibus doctrinam conducere possit; quemadmodum et Malebranchius (*Récher. de la vert. lir. 5.*) idem præstabilit. Commendari his quoque meretur opus clarissimi Mejeri superius laudatum (*Theoretische Lebre von den Gemüthsverregungen über haupt*); in eo enim tum de natura, et origine

affectum; tum de ratione eisdem et concitandi; et sedandi, egris, dixerunt. Id tamen lectorum monitum velim, virum celeberrimum, quod systemati harmoniae praestabilitate plus aequo adhaerat, totam esse in contemplanda anima a corpore penitus abstracta; inde certe sit, ut complura ipsius ratiocinia tum nisi esse nequeant, cum affectuum in animo exsurgentium vere reales in corpore cassas experimur.

Schol. Me tamen judice omnium accuratissima affectum distributio ea est, quam supra in corollario insinuavi, existimo enim gaudium, et tristitiam duos esse omnium reliquorum fontes, propterea que recte primigenios dici. Ut autem prospicias, quo modo omnes alii ex his fontibus promanent, haec ex Boehmio accipe (*Psych. emp.*, s. 2. c. 2. §§. 48. 81. nos. not.). Gaudium ex fine mali (est) hilaritas; ex bono futuro incertior spes; ex certiori, felicitas; ex conatu bonum obtinendi cupiditas; cupiditas erga bonum difficulter obtinendi conjuncta, cum fiducia difficultates superandas animositas; gaudium ex iis, que a nobis benefacta putamus, aciescentia; ex benigno alterorum de nobis iudicio gloria; ex alterius perfectione amor; amor erga benefactorem proprius beneficii gratitudo; amor singularis propter praestantiora animi dona favor gaudium ex alterius imperfectione malevolentia; ex absurdo risus. Tristitia ex difficultate boni obtinendi pusillanimitas; ex mora boni sperati desiderium; ex ante bono viso fastidium; ex malo quod nobis obirent posset, metus; ex malo approximante timor; ex malo ingenti horror; ex malo intolerabili, et inevitabili desperatio; ex malo improviso terror; ex iis, quae a nobis male facta putantur, poenitentia; ex sinistro alterum de nobis iudicio pudor; ex alterius imperfectione commiseratio; ex alterius perfectione odio; ex alterius perfectione, quatenus illam nobis, vel amatis evenire optamus, invidia; ex injuria nobis illata indignatio; indignatio cum odio ira.

AFFECTUS CONSEQUENTUR NATURAM HUMANAM, ET MULTAM HABENT UTILITATEM.

CIII. *Affectus sunt naturalia humana naturae consecutaria.* Cum enim natura humana finita sit, et mortalis, sibiique ad perfectam beatitudinem, quam ardentissimo desiderat, sola non sufficiat, prorsus naturaliter fit, ut perceptionibus boni, aut malorum commoveratur, ibique ad appetendum, quod partem perfectas felicitatis constitueret; hic ad propulsandum, quod beatitati obstat videtur, impellatur: quare cum appetitiones, et aversationes fortiores, quae similiter ratione ex clarioribus boni, aut malorum perceptionibus naturaliter oriuntur, affectus sint (*q. praece. j.*) manifestus est affectus esse naturalia humanae naturae consecutaria.

Schol. Verum non modo naturaliter humanam naturam consequuntur affectus; sed admodum utilis sunt, si modo justos intra limi-

tes a ratione constringantur. Nihil certe valde magni, egregii, aut ardui praestitum unquam est sine aliquo affectu. Tum ad ipsam hominem, ac rerum publicarum integrarum conservationem necessarii sunt; neque enim homo conservari potest, nisi honorum possessione, ac malorum declinatione; id vero, qui fiat, nisi natura ipsa impellente ad bona percepta pro ratione bonitatis representata inclinetur, intelligi non potest. Deinde societas humanae, quacumque aut amore, aut timore tam iniri, quam conservari quis ignorat? Tollit haec vincula, et suavissimae civium conspirantium harmoniae loco odia, inimicitias, rixas, ac insidias suscitabit. Praeclarum Genensis (*ELEM. MET. p. 1. c. 6. prop. 59. sch. fin.*): *Ratio recta nullo impetu usori affectu concitante, constantius operatur, et aequalibus; sed eximium quidquam, et distinctum effectus numerum.* Eadem, ubi natura vehementissime affectus est, velut erigitur, ac, licet paulo turbulentus, efficit tamen, quae mala videri possent naturae humanae vires, omnes ignorantibus. Itaque Plato saepe scribit, magnorum virorum suis se nemini sine entusiasmo gloriam, id est, sine vehementiori affectu. Cur ratione ligatur insanisse censendi sunt Stoici, qui duce Zenone docuerant affectus omnes sine discrimine (*Laert. de vit. phil. l. 7. segm. 110.*) morbos esse animi; *praeter naturales motiones: aversas a recta ratione contra naturam animi commotiones,* proptereaque in sapientem minime cadere (*Cit. de fin. l. 2.*); haec enim instituto non modo aliud postulat, quod supra naturae humanae vires ponitur; sed et hominem necessariis magna gerendti, ardua consilia et suspicendi, et exsequendi instrumentis, ac sapientem sapientia expoliat: de hac Stoicorum disciplina ad Tullium, qui eam multis persecutus est (*Q. tusc. l. 4. c. 6. seqq.*). Sapientius Aristoteles ad Nicomachum scribens praecipit, affectus esse virtutum materiem, virtutemque in eo sitam esse, ut animi affectus temperet, ac ita coerceat, ut apta efficiantur subsidia ad veram beatitudinem consequendam. Quare labor nositer non tam in eo versari debet, ut omnes animi affectiones radicitus evellantur; id enim humanae naturae condito minime patitur; quam ut easdem in ictis frenis rationi obtemperare doceamus. Sed hoc jam ad philosophiam moralern pertinet.

SECTIO III.

DE FACULTATE VOLENDI.

QUOD SECTIONIS ARGUMENTUM?

CIV. Venio ad tertiam animae nostrae facultatem sensu intimo cognitam, quam ego facultatem volendi, seu voluntatem voco. Disputandum hic principe loco, quid ea sit, in quoce proprie constituta; deinde singularis, solique illi competens praerogativa expendenda: libertatem intelligi; de qua, quae utiliter dici possunt, ad